

Sammelband von Dina



U. g. 1975

DISPUTATIONVM
PROCESSVS IVDICIARII

Vndecima

DE NULLI-
TATIBVS ET IN-
HIBITIONIBVS
QVAM

*Ex Iure Civ. Can. Ord. Cam. Imp. &
in foro receptis Dd. opinionibus
depromptam*


*Divini Numinis annuente gratia
SVB PRAESIDIO*

*Nobilissimi, Amplissimi & Con-
sultissimi viri,*

Dn. ARNOLDI DE REYGER, DO-
ctoris Iureconsulti celeberrimi, & in
Illustri SALANA Pandectarum
P. P.

Publicè propugnare conabitur

MATTHIAS ENGLIKE
Pyr. Pomeranus.



I E N Æ
TYPIS TOBIAE STEINMANNI.
ANNO MDCCCXCV.





V I R I S.

*Amplissimis, Clarissimis, Prudentissimis,
autoritate precipua, multoq; rerum
usu prestantissimis*

*Dn. Consulibus, Camerarijs &
Senatoribus Inclut. & Reipubl.
Pyricensis*

Dominis & Meccoenatibus suis officiose colendis

*Hasce conclusiones Legales honoris
& observantia ergo*

D. D. D.

Matthias Englike

Respondens.





CONTINUATIO.

Discusso appellationis remedio, superest, ut de nullitaribus dispiciamus, quibus inhibitiones, quae post appellationem, vel etiam nullitatem interponi solent, subjiciemus.

THESIS I.

RECTE VERO ATQVE ex ordine progredimur, dum appellationem nullitatis beneficium, subsequi volumus, siquidem illa omissa vel delecta hoc non expiret, verum de integro adhuc eo nomine agi possit.

Arg. l. si domus, 2 l. de servit. urb. praed. l. unica. C. si de moment. poss. c. inter caeteras. Vbi Canonist. de sent. & re iud. c. Licet de sent. excommu. in 6. Bart. in l. cum querebatur. re iud. Dec. c. cum sit Romana. n. 27. de appell. Did. Cov. pract. obs. 24. n. 8. Gvid. Pap. q. 38. And. Gail. 1. obs. 135. n. 4. cum sequent. Myns. Cent. 2. obs. 77. & cent. 4. obs. 63. n. 6. Vant. late tract. de null. Rub. Quis possit dicere de nullitate. n. 33. Dd. communiter. l. si expressim. 19. de appell. Diff. Bald. l. 40. §. 1. col. 7. vers. Ideo quero. de pact. Zas. d. l. cum querebatur. 62. n. 11. de re iud. Alex. cons. 51. Ratio decisionis non obscura: Duo n. separata sunt & diversa remedia, ideoq; aliud alterum non absorbet. l. Papinianus. 20. de minor. l. fin. de calumn. l. inter stipulantem. 83. §. sacram. vers. sed haec dissimilia. de verb. oblig. Facit quod in simili traditur remittentem actionem iniuriarum damna & interesse remississe non censerem. Anchar. & Ab. in c. 1. de iniuriis. Cov. 2. var. res. io n. 7. ver. 4. eodem

iure. Gom. tom. 3. var. resol. c. 6. n. 13. Costa .l. si pro iure. 7. de con-
dict. fur. Gail. de Arrest. Imp. c. ult. n. 7. Myns. cen. 4. obs. 10 Egv. Baro
& alij in §. fin. de iur. Dd. l. si tibi. 17. §. quadam. de pact. Hinc
variando nodosa & elegantis illius quæstionis decisio, filiam renun-
ciantem hereditati paterna succedere fratri nihilominus, qui adita
hereditate patris moritur: Vid. trad. per Goed. ad l. 24. n. 13. ubi
Alc. n. 15. de verb. sig. Mich. Gras. lib. recept. sent. q. 2. n. 3. Ant. Ga.
Rom. lib. 6. c. mm. concl. tit. de statutis. conclus. 7. n. 28. Dec. in l. he-
reditas. 67. n. 7. & in l. Quoties. 91. n. 6. de R. I. Schurff. cent. 1.
cons. 96. n. 17. Gail. 2. obs. 148. num. 12. Dd. l. 1. §. veteres. de ac-
quir. possess.

II.

Nullitatem *a*, definimus jus, quo officio judi-
cis *b*, sententiam sive in rem judicatam transferit, sive
non *c*; ut contra juris ordinem latam, rescindi *d* peti-
mus *e*.

a Vocem hanc elegantia ingenia ut insolentem
& barbaram refugient, cum neque I.C. ea usos in con-
fessio sit. Vant. tract. de null. c. 1. n. 12. excusari tamen posse
per ea, quæ tradunt Goedd: in Rub. com. de V. S. n. 14. & Cor. 3.
Misc. c. 16. n. 7. cum seqq. minimè dubitamus, ut alia infini-
ta docendi gratia excogitata. Confer. vigl. in §. sui autem. Inst.
de her. qual. n. 2. *b* Nobile intelligit, Myns. cons. 17. Dec.
2. n. 4. Est etenim duplex judicis officium interpreti-
bus, Nobile videlicet & Mercenarium. Bart. & alij in l. 1.
de iurisd. om. iud. l. 1. nec quicquam. 9. de off. procons. Zas. d. l. 1. &
§. præterea. in fin. Inst. de act. Vves. in complem. ad Schneid. n. 2. Inst.
de off. iud. Ibid. & Myns. n. 5. 6. 7 cum eorum definitionibus
& declarationib. Remotius forsan à scitis & traditis
I.C. nostrorum. Officium quippe nihil est aliud, quam
quod quilibet sibi in commisso negotio facere debet. Sic
magistratus officium in jure dicundo consistit, unde jus
dicens appellatur, l. 1. de iurisd. Dicit *a*. jus vel per se,
vel alios, dum dat iudices, unde duo esse incipiunt offi-
cia; alterum ipsius magistratus, alterum judicis dati.
Ipsius magistratus officium in omnibus illis versatur, ob
quæ expedienda ille electus est, At judicis dati officium
in omnib,

in omnibus illis versatur, ut constituto à prætoribus iudicio, acceptaque formula iudicet. Formula fuit vel instructis vel bonæ fidei iudiciis recepta, illic iudex datus ne latum quidem unguem recedit, hic ex æquo & bono plurimum. Et sic magistratus officium cum iudicis officio, non debet confundi. *Vac. à Vac. lib. 6. declar. nov. 78. n. 15. Cor. 7. Misc. 9. Goedd. ad l. 22. n. 18. de verb. sig. Obrecht. de Iurisd. c. 12. de Iurisd. & mixt. Imp. matera. c. Sententiam in rem iudicatam tum demum in rem iudicatam transisse putamus, quando decendium provocationi definitum. Nov. 23. Auth. hodie. C. de appell. c. quoad de sent. Gail. 1. obs. 139. num. 1. elapsu. l. 1. de re iud. l. 32. C. de transact. l. 1. ad S. Ctum Turpill. l. 23. §. 1. condict. indeb. l. 32. §. 4. C. de appell. c. pastoralis. c. quo ad consultationem. De sent. & re iud. Diss. Duar. in l. 1. de re iud. Robert. 1. sentent. 24. in fin. d. in iis n. quæ ipso jure nulla sunt, sententiam declaratoriam quoque requiri verius est, arg. l. 3. C. de incest. nupt. l. 12. de iure fisci. c. dicit dominus. 32. q. 1. Borch. tract. feud. c. 3. n. 25. argumento etiam compensationis, quæ cum ipso jure competere dicatur, factum tamen hominis non excludit. Azo. in summ. C. de compen. n. 13. Zas. §. bonæ fidei. Institut. de act. ubi id ubiq. Dd. tenere testatur, sequitur etiam Hugo Donell. in d. §. bonæ fidei. VVes. in par. de compen. n. 8. ut proinde mirum non sit, ea etiam rescindi, quæ ipso jure non subsistunt, l. hoc modo. 64. §. 1. de condict. & demonstr. l. 5. §. 2. qui & à quibus manumiss. l. si dolo. 5. C. de rescind. vend. c. Van. d. l. ea. I. in pr. Vul. 2. Jurisp. Rom. c. 33 n. 69. Can. planè c. dilecto. de appell. & in c. 1. de sent. & re iud.*

III.

De nullitate dicunt omnes, qui nominatim prohibiti non reperiantur *a*, adeò ut & terrius interveniens, qui ratione sui interesse quæstionem movet, merito audiendus sit *b*.

a arg. l. 28. §. 2. ex quib. causis maiores. l. mutus. 42. §. cum queritur. de procur. l. ab ea parte. de probat. l. iura. de leg. §. planè. Institut. de iure nat. gent. & civ. *b* l. sæpè. ubi Alex. de re iud. Van. hic. tit. quis possit de nullitate dicere. nu. 4. cum multis seqq. Gail. 1. obs. 70. numer. 4. Quid si causa commissa

A 3

commis

Commissa foret nullitatib; & quavis appellatione remota
tis? & sanè cum rescripta Principum citra injuriam &
præjudicium alicujus præsertim tertii, sint interpretan-
da. *l. nec avus. C. de emancip. lib. l. ex facto. De vulg & pup. l. 5. de
nat. rest. l. fin. C. si per vim. l. meminerint. C. unde vi. l. 2. de itin. actuq;
priv. Can. c. cum olim. de re iud. & in c. super literis. de rescript. Rom.
cons. 436. Quod indulgum Petri. n. 19. Gail. 2. obs. 76. n. II
magis est, eum admitti debere, c. super eo. ubi Abb. de off. de-
leg. Fel. in c. veniens. n. 5. de test. Phil. Franc. c. pastoralis. q. 7. de ap-
pell. Bart. l. 1. §. interdum. n. 4. à quibus appellari non licet.
Iason. l. à Divo Pio. §. si super rebus. n. 16. de re iud. Necessum
tamen habet, ut prius de interesse suo saltem summarie
doceat. Bart. l. à sententia. de appell. Gail. 1. obs. 69. n. 4. Myn-
cent. 2. obs. 1. n. 3. Vant. præalleg. loco n. 22.*

IV.

Quod procedit si tempus proponendæ nondum
præterit, aliàs post triginta annos agere volentibus ob-
stabit exceptio, per quam actio inutilis & sine effectu
redditur.

*Bart. in l. quidam in suo. de condit. Inst. Specul. tit. de senten-
tiis. §. ut autem. vers. fin. Lanfr. c. quoniam. verb. interlocutoria. n. 37
And. Gai. I. obs. 127. n. 8. Myns. cons. 68. Dec. 7. n. IX. Ang. pr. Inst.
de perpet. & temp. actionib. Vant. c. 8. tract. sui. n. 8. Diff. Alex. cons.
59. Viso titulo quæstionis. vers. & si opponeretur. lib. 4. Sal. l.
si proponis. C. quomodo & quando Iudex. Ratio v. hujus est,
quod officium judicis nobile pro nullitate competens
tanto temporis decursu extingvatur. Glos. l. sicut. verb. per-
secutione. ubi Dd. C. de præscript. 30. annor. Bart. l. Prator. §. fin. de
novi operis nunc. n. 1. Cast. & Dd. in l. 2. C. de rescindend. vend.
Franc. Balb. tract. de præscript. 4. p. 4. p. princip. q. 30. Fallit ta-
men si nullitas evidens fuerit; hoc n. casu perpetuò de
ca dici posse comprobavit. Balb. d. tr. præscript. p. 4. p. 4. prin-
cip. q. 32. n. 2. per doctrinam Bald. in l. data opera. Col. antepenult. v.
sed quid si bannitus. C. qui accusare non possunt. Et huc pertinet,
quod dici solet; Nullitatem nunquam transire in rem ju-
dicatam. Evidens autem nullitas dicitur, quando ap-
paret ex actis, quæ notorium inducunt. c. fin. de cohab.*

Cler.

Cler. & mul. Innoc. & Can. c. per tuas. de test. Ias l. eius qui in pro-
vincia. n. 53. si cert. pet. Hoc tempus Iure Saxonum am-
plificatum aliquando cum nullitati in præscriptionem
31. annos constituit. *Vvesen-cons. 13. in fine. vol. 1. art. 29.*
iuncta gl. Landrecht lib. 1. art. 38. & gloss. Weichbildt art. 4. super
verb. Jar vnd tag. lib. 2. diff. 1. civ. & Sax. p. 6. d. 1.

V.

Proponitur autem in iudicio nullitas vel princi-
paliter vel incidenter *a*. Principaliter quando vel so-
la vel cum alio remedio puta appellationis *b*, vel
restitutionis in integrum *c* intentatur *d*. Inciden-
ter quando cum alio in consequentiam tantum & secun-
dario cumulatur *e*.

a *Vant. c. 6. in pr. quot & quib. mod. Vult. 2. Iurisp. Rom.*
6. 33. n. 71. Cov. pract. qq. c. 24. n. 7. Dec in c. dilecto. n. 7. & 24.
de appell. Duar. in l. 62. de re iudicata. Myns. cent. 6. obs. 91. In
Camera alternativè cum appellatione proponitur. Ord.
Cam. p. 3. t. 34. §. 1. ibi. Wo jemandt an vnserm Camergerichte.
Quod si non appelletur & sic principaliter de nullitate
agatur tum, ut in aliis causis simplicis querelæ procedi
solet. d. l. in Ord. Cam. §. Wo aber von vrtheilen nicht appelliret.
b *Myns. cent. 4. obs. 63. Spec. §. quoniam. vers. iuxta. n. 28. de*
sentent. Plura namque remedia uno eodemque libello
si ex diversis causis ad diversa agatur, nec obstant regulæ
prohibitivæ cumulationem impediens, conjungi &
cumulari posse, tralatitium est, & per manus traditur.
Dd. in l. si idem cum eodem. de Iuridict. & in l. edita. C. de edendo.
Dyn. in c. Nullus plurib. de reg. Iur. in 6. c *Vid. disp. 13. thes.*
24. in pr. d *Vant. d. c. 6. n. 11. quot & quib. modis. Cov. Pract.*
qq. c. 24. Phil. Franc. c. dilecto. q. 43. de appell. Aliter Vult 2. Iurisp.
6. 33. n. 71. gl. & Salic. l. 1. C. quando provoc. non est necess. Lanf. in
c. quoniam. verb. interlocut. n. 38. de probat. Myns. cent. 5. obs. 91.
qui omnes incidenter nullitatem deduci asseverant
quando cum alio remedio conjungitur. V. G. Dico
sententiam nullam & si qua est, appello. v. Mand. in tr. de
inhib. q. 20. in fine. e *Quod contingit si simpliciter ap-*
pelletur, nam sub verbo appello nullitas tanquam con-
nexum

nexum includitur. *l. quaedam, fam. ercis.* Bald. in *l. 1. C. quando prov. non est neces.* Zas. in *l. cum quarebatur. de re iud.* Innoc. in *cl dilecto. de appellat.* Rota dec. 29. n. 4. in antiquis. de sent. & re iud. Schurff. cons. 60. cent. 1. n. 9. Gail. 1. obs. 127. n. 2. Hinc etiam Bald. dicit, Nullitatem in appellationis ventre claudi, in *l. tale pactum. §. qui provocavit de pactis.*

VI.

Effectus autem nullitatis propositæ principaliter vel incidenter sunt plurimi. Illo siquidem calu novam telam ordinis iudicarii efflagitat *a*, semel intentata evanescit *b*, quamvis executionem non impediat *c*.

a And. Gail. 1. obs. 77. in pr. Rot. dec. 5. de litis contest. in nov. Innoc. in *c. 2. de off. iud. Dd. in c. per tuas. de appell.* In Camera si notoria extiterit nullitas indistincte pronuncietur non attento processu, sive ea principaliter, sive incidenter deducta esset. Myns. cent. 4. obs. 20. Ordinar. Cam. p. 3. tit. 34. §. 2. ibi. Als dann sollen unsere Sammerichter vñnd Beyfizer auch für der Kriegsbesetzung vñnd ex officio darüber entlich zusprechen vñnd zu erkennen macht haben. *b* Myns. cons. 17. dec. 2. n. 13. vid. ib. 1. *c* Vant. c. 6. quod & quibus modis. n. 29. Myns. cent. 4. obs. 64. Debet tamen de indemnitate cavere, si pro actore pronuncietur. *c. suscitata. de in integr. rest.* Zas. in *l. 4. §. condemnatam. conclus. 3. de re iud.* Myns. cons. 2. 3. n. 26. Dec. 3.

VII.

Hoc verò videlicet incidenter deducta nullitate, omnia contrario se modo habent, cum simultaneo processu cum principali expediatur *a*, deserta appellatione de integro principaliter institui possit *b*, & denique sententiam executioni mandare prohibeat *c*.

a Myns. cent. 5. obs. 92. n. 6. & cent. 4. obs. 63. Vant. di. l. n. 27. Ord. Cam. p. 3. t. 34. §. Vñnd soll also die Nullitet. *b* Barr. in *l. si expressum. n. 10. de appell.* Cov. Pract. quest. 25. n. 8. ver. quod si deserta. Nam ubi incidenter in causam appellationis accessit nullitas, quod fieri solet. *l. Carmelia. de iure pat. l. quaedam mulier fam. ercis. l. si is quem. C. de liberal. causa.* tum deserta appellatione censetur quidem deserta & ipsa nullitas

Nullitas, quæ appellationi accedit, nihilominus tamen principaliter iterum in iudicium deduci potest. *c. licet, de sent. excom. in 6. Dec. in c. cum sit Romana, n. 27. de appell. c. Bar. in l. 4. §. condemnatum, de re iud. Bald. in autb. quæ supplicatio, c. de pres, Imp. offer. Cov. pract. qq. c. 25. in pr. Lanfr. c. quoniam, verb. interloc. nu. 35. de probat. Mand. q. 49. n. 4. de inhibis. Wesenb. in par. n. 10. de re iud. Franc. in di. c. dilecto. q. 43. n. 32. confer. ord. Cam. d. t. 34. Fallit tamen hoc si cognitio nullitatis altior rem indaginem exposcat. *Myns. cent. 4. obs. 64.**

IIX.

Sic autem deducta in iudicium intra tempus legitimum probanda venit, quem probandi modum ad jus civile referimus, ut qui secundum regulas juris communis explicetur.

Quemadmodum ergo jus commune statuit actorem intentionem suam, reum exceptionem probare debere. *l. nimis grave. C. de testib. l. 2. l. 2. l. 17. 22. de probat. l. 16. C. eodem. Duar. c. 11. de probationib. ibi & Donell. c. 2. Ves. in parat. n. 6. Sichard. in l. 1. C. eod.* Ita nullitatem asserens agendo vel accipiendo ex ratione prædicta probationis onere subjugabitur. Nullitate v. non probata vel minus plene sententia vigorem suum obtinet, & pro ea respondetur. *arg. l. quoties. de reb. dubijs. l. si quando. de legat. 1. l. si putas ubi Bald. C. de petit. hered.* Causam quoque nullitatis exprimendam esse, receptum est. *Rota dec. 70. in ant. de appell. Innoc. in c. cum Beriboldus de re iud. Bald. in l. qui testamento. in pr. de excus. tutor. Quib. consonat ordin. Cam. p. 3. t. 34. §. Und sollen die procuratores die Ursachen der Nullitet derhalben principaliter oder incidenter gehandelt wüirdt / specificè auszutriten eken vñnd zu bestimmen schüldig sein.* Verum enimverò an causa expressa non probata ad aliam decurrere possimus, quæstionis est elegantis; Affirmativa placet cum toties de nullitate agi possit, quoties actus nullus est. *Vant. plenè hic c. quoties & intra quod tempus. & c.* Et exceptio rei judicatæ tum demum obstat. quando causa petendi est eadem. *l. de eadem. l. si quis cum totum. §. & generaliter. l. si mater. §. eandem. & §. deniq. l. & an eadem. §. actiones. l. ult. de*

B

except.

except. rei iudic. Vvesenb. ibid. n. 3. Gail. 1. obs. 70. n. 17.
Statuto tamen vel constitutione res temperari posset,
ut aliquis esset litium finis & ne earum modus multipli-
catus summam atq; inexplicabilem faciat difficultatem.
l. fin. pro suo. l. 6. except. rei iudic. l. properandum. C. de iud. quara-
tione Iure Camerali exceptiones omnes uno termino
proponi debere constitutum est *ord. Cam. p. 3. t. 27.* Von
terminen in entliheen auszügen. §. vñnd sollen. imò statu-
tum omnes nullitates tollens, valere arbitramur. *ex tra.*
per Myns. cent. 6. obs. 5. n. 3. Gail. 1. obs. 66. n. 5. Treutl. disp. 33. l. a.
tb. 1. vol. 2.

IX.

Nullitatis interim probatæ a effectus erit, quod
nulliter iudicatum, superflue appellatum esse pronuncia-
ri debeat b. Sententiam n. nullam non reformari, sed
nullam declarari verior opinio est c: quamvis hoc ipsum
e x traditis per Gail. d temperationem justam recipiat.

a Ut probari omninò debet cum pro senten-
tia præsumatur non solum quoad iustitiam, verum etiam
quoad processum. *c. bona: d. 1. de elect. e. in presentia. de renun-*
ciatione. c. sicut de sent. & re iud. Gab. Rom. 2. com. conclus. rit. de
sent. con. 5. Vvesenb. in par. de re iudic. n. 8. Gail. 1. obs. 44. n. 7. b
And. Gail. 1. obs. 42. n. 7. qui ita pronunciari solere affirmat,
Das durch Richter voriger instantz nichtiglich gehandelt pro-
cediret vñd geurtheilet vñnd vberflüssig dauon appelliret sey-
utur detur hoc honori iudicum, ut super iniquitate tantum
pnúcietur, videlicet malè iudicatum fuisse, & benè ap-
pellatum, ut tradit *Myns. cent. 3. obs. 72.* Etiam si nullitas
sola fuisset proposita. *Pet. Ferrar. in sua pract form. libell. appel-*
d senten. diff. in gloss. & in quantum sit aliqua. c *Myns. cent. 1*
obs. 27. Qui plures pro confirmatione hujus sententiz
allegat. d *1. obs. 66. n. 4. & 2 obs. 127.* ubi causam nul-
litis principale negotium ad iudicem appellationis de-
volvere docet, ita ut super meritis cognoscere & sen-
tentiam reformare vel confirmare etiam ex nova causa
& novis probationibus possit. ut ibi per eum.

Quia

X.

Quia verò superioribus demonstratum, quomodo proponatur nullitas, ubi & quando, nec non quomodo probanda; De iudice dicendum post hac, coram quo proponenda nullitas, Qua in re delegatum ab ordinario distingvimus, & priori casu superiorem adeundum & altero, arbitrio gravati relinquendum, ad quem iudicem ire velit, ut communis doctorum schola docet b statui-

mus.
 a Nam delegatus postquam pronunciavit, sive bene sive male functus est officio suo. l. 4. C. quomodo & quando iudex l. iudex de re iudicat. l. quod iussit. l. 4. ubi Duar. eod. tit. An. Gail. 1. obs. 127. n. 5. Myns. cent. 5. obs. 92. n. 7. Vant. c. 3. hic. n. 14. coram quo nullitas. b Fel. c. in literis. col. penult. vers. quis dicatur etiam competens. de off. delegat. & in c. per tuas. col. fin. de sent. excom. post Imol. in l. si iudex. de re iud. Phil. Franc. in c. dilecto. q. 26 de appellation. Innoc. & communiter. Can. in c. de cætero. de re iud. Vant. d. c. 3. latissime. Vsu tamen obtinuisse refert Gail. 1. obs. 127. n. 7. ut Iudex appellationis & sic superior adatur. Vide Myns. d. obs. 92. n. 1. Ea que vera sunt & procedunt, si de nullitate sententiæ definitivæ agatur. Quid si de interlocutoria? Eum iudicem dicimus, qui principale negotium cognoscit, ne aliter dicendo causæ contentoria dividatur. l. nulli. C. de iud. l. ubi captum eod. authent. & consequenter. cum ibi not. C. de sent. Si tamen interlocutoria sit talis, à qua appellari possit, simul ad iudicem appellationis nullitas devolvitur, modo ea, tanquam gravamen interpositæ appellationis deducatur per not. in c. ut debitus de appellat. Vant. d. l. n. 4. cum seqq. Quod si quæstio moveatur de nullitatibus, quæ ex ra iudicium contingunt, puta contractuum, testamentorum &c. Semper ordinarij iudicis jurisdictionem obtinere existimamus. Bald. in l. 4. in gloss. fin. C. quomodo & quando iudex. Franc. in d. c. dilecto. q. 28. Vant. d. l. n. 1. qui eruditè singula persequitur, quem ad fatieratem vide.

XI.

Ex prædictis omnibus, hæc proflit quæstio inprimis,

mis, Num omnis sententia etiam majoris magistratus in dignitate constituti, de nullitate accusari possit? hac visione cur ab affirmativa recedendum sit, rationes satis firmas non videmus.

Cum omnes iudices etiam majores iudicare teneantur, prout legib. & morib. proditum, *prin. Institut. de off. iud. l. nemo. C. de sent. & interlocut. omnium iud. l. si. C. temp. appellat. Vant. h. c. 5.* An qualibet sententia. Quando & principis sententiam quem legibus solutum volunt, *l. princeps. de legib. propter nullitatem impugnari posse credimus, nisi certò cōstiterit eū à jure commūi, discedere voluisse. arg. l. ex facto. de vulgari & pup. l. digna vox. C. de legib. l. ex imperfecto. C. de testam. l. ex imperfecto. de legib. 3. §. fin. Inst. quib. modis testam. infir.* Ideoque rejicimus Dd. opinionem, qui Principem de plenitudine potestatis omnia contra jus facere posse, contenderunt cum Hart. Pist. *lib. 2. qq. lu. civ. & Sax. quast. 40. n. 28. Fer. Vasq. 1. illust. controversi. 26. n. 2. Cov. 3. Var. resol. c. 6. n. 8. Ar. Pin. in Rub. p. 1. c. 2. n. 25 C. de rescin. vendit. Con. 1. comment. c. 8. n. 3. Fran. Sarm. 1. select. interpret. 8. n. 20. Cor. 2. Misc. c. ult. Gab. Rom. 3. com. concl. 1. de iure quæsito non tollendo. conclus. 1. ubi pro utraq. p. multos suo more allegat. Vide imprimis post autorem Bruti fulminis. Bructm. de rega. in. §. soluta potestas latissimè. c. 2. & 3.* Quibus rectè subjicitur quæstio num adversus tres conformes sententias nullitatem opponens audiendus sit? Si notoria & evidens illa sit quam acta demonstrent, affirmativa opinio verior videtur. *Cov. pract. qq. c. 25. n. 1. cum seqq. Gab. Rom. 2. commun. conclus. 1. de executione rei iud. concl. 1. n. 8. vers. contrarium. Lansf. c. quoniam. verb. interlocutoria. n. 35. de probat. Gail 1. obs. 42. n. 11. & 12. Myns. cent. 4. obs. 64. & cent. 6. obs. 4. Vult. lib. 2. Jurisp. Rom. c. 33. n. 16. qui plures pro hac sententia adducit. Can. in clem. 1. de re iudic. Dd. communiter, in l. 4 §. condemnatum, eod.*

XII.

Cæterum nullitates variis ex causis oriuntur. Nam vel personæ, vel præparatoria iudicii, vel denique iudicium ipsum, & quæ id consequuntur, eis locum faciunt.

Vant.

Vant. latè hic. c. 2. 9. 10. 11. cum 2. seqq. Phil. Franc. c. dile-
 flo. de appellat. Spec. §. Quoniam. vers. iuxta. de sent. Mar. p. 4. d. 16
 Schwartzenthaler. l. b. 3. c. 15. Pet. Term. in suo processu. c. 52. And.
 Gail. 1. obs. 42. Cbil. König. p. 3. Rub. Von dem Endurtheil. §. vnd
 weil arg. 11. ff. & C. quæ sent. sine appellatione rescindantur,
 & ibi Dd. verum cum superiorib. disput. hæc satis super-
 que sint enodata, & Dd. præallegatis locis fusiùs perse-
 quantur cum crambe bis coacta mors sit satius est ad alia
 transiisse, quam ut actum agatur. Illud in genere notan-
 dum, in Cam. Imper. eas nullitates tantum recipi,
 quæ irreparabile damnum principali negotio afferunt,
 non quæ judiciorum solennitatem concernunt. Ord.
 Cam. p. 3. rub. 34. Von Nullitet vnd Nichtigkeit sachen. §. 1.
 v. vnd so der Cammerichter vnd beyfizer. Vide And. Gail. 1.
 obs. 25.

XIII.

Denique nullitates variis eliduntur modis, siue op-
 ponentem ipsum *a*, siue sententiam *b*, siue oppositio-
 nem *c*, siue personam contra quam *d*, & iudicem co-
 ram quo *e* consideraverimus exactius.

a Vant. hic. c. ult. n. 12. *b* ibidem n. 21. *c* ibid. n. 29.
d idem eod. c. n. 33. *e* d. n. 33. Generaliter hic adverten-
 dum confessionem Rei in iudicio super causa principali
 omne vitium processus purgare, ut eleganter refert Myn.
 Cent. 5. obs. 77. ubi id à Cameralib. iudicib. aliquoties ser-
 vatum asserit, & latius confirmat Vant. d. c. ult. n. 126. mul-
 tis Dd. autoritatib. Imò si de meritis causæ quoque con-
 stiterit sustineri eam explosa nullitate. Vant. d. c. ult. n. 129.
 quod & præiudicio Cam. Imp. comprobatur. Myns. cent. 1. obs. 27.
 & cons. 2. n. 18. Gail. 1. obs. 75. n. 5. per ordinat. Cam. t. 34. Von
 Nullitet vnd nichtigkeit sachen.

*Et hætenus de Nullitatib. de
 inhibitionib. ut dicamus, conse-
 quarium est.*

XIV.

Inhibitiones sunt iudicis superioris mandata fa-
 cta infe-

De inferiori, de se non intromittendo ulterius.

Vult. 2. Iarisp. Rom. c. 33. n. 77. Inhibitiones n. vocant literas compulsoriales, quib. iudex ad quem, admiffa appellatione, mandat ei a quo, ut ad se acta causæ transmittat, prohibetque ne in eadem causa quippiam deinceps moliatur. *Vvesenb. in parat. nihil novari appell. interp. per c. Romana. §. si veto de appellat. latè And. Gail. 1. obs. 134. per tot.* Atque hæc definitio materiz subjectæ competit, cum principaliter non de quavis inhibitione loquamur, sed ea tantum, qua post sententiam latam, Iudex superior vetat, ne quid attentetur, quo vel Iurisdicctio ejus turbetur, vel jura partium lædantur. Aliàs non negamus quamvis prohibitionem, quæcunque illa sit, inhibitionem rectè nominari & contra. *arg. l. 2. vers. nisi principali iussione specialiter prorogatio fuerit inhibita. de Iud. l. 1. de oper. novi nunc. l. commodus. de re iud. c. dilectus. de rescriptis, quos textus allegat Mandos. tract. suo de inhib. c. 1. in pr.* Generice itaque & specificè hoc vocabulum accipi apparet, quemadmodum hujus rei exempla passim in jure obvia sunt. *argum. adoptionis & cognationis. plura congeffit Appell. method. Dial. c. 1. XV.*

Earum duas statuimus species *a*, unam legis, Hominis alteram *b*, missis illis, quæ legis sunt, has quas hominis diximus, videbimus.

a In generaliore significato tamen accepto vocabulo, quod vel definitio thesi præced. posita arguit, cui cum specialis sit, hæc divisio adaptari non posset, nisi ad genus dilaberemur. *b* Exempla utriusque inhibitionis nemini erunt ignota, cum ubiq; occurrant, & illustrata quædam refert Mand. *d. tract. quest. 2.*

XVI.

Tum demum autem inhibitiones legitimæ existimantur, quando sequentia servata fuere, primum, si inhibuerit is, qui jubendi potestatem habet, deinde super causa & negotio iurisdictionem admittente, denique cum debita forma & modo.

Quibus requisitis servatis inhibitiones justæ erunt & legitimæ. Positis enim his causis efficiente scilicet materiali

teriali & formali, inhibitionem ita emanatam legibus quoque comprobari obscurum non est, & proinde effectum quoque producent suum, ut ex iis quæ mox dicentur, latius apparebit, quando de singulis requisitis in specie dixerimus.

XVII.

Quod itaque ad iudicis requisitum attinet, in eo generaliter sic præcipimus, minori in majorem, & pari in parem jus seu facultatem inhibendi minime competere, nisi se illorum jurisdictioni subjecerint.

l. est receptum. l. 4. de iurisd. l. 4. de recept. arb. l. ille à quo. §. tempestivum. ad S. C. Trebell. c. cum inferior de maior. & obed. c. 2. de off. deleg. l. 3. 2. §. penult. C. de appell. Quæritur de delegato, num ordinario inhibeat? Et cum quo ad causam sibi commissam, quovis ordinario major habeatur. c. 2. de off. & potest. iud. deleg. c. 11 §. præterea. de off. iud. ordinarij. Gail. 1. obs. 97. n. 9. dubium non est, quin inhibitionem hoc casu expediat justissimè. Hoc etiam inter ambigua refertur, Num Ecclesiasticus seculari? Quod ad certas causas ita receptum. Marant. p. 4. distinct. 11. n. 55. Mand. q. 10. cum multis alijs. Licet nullo jure quo ad res seculares Jurisdictio eorum comprobetur. Ius n. divinum ex diametro iis adversatur, ut quod negotiis secularib. implicari nolit eos, qui ministri Dei haberi volunt. 2. ad Timo. 2. vers. 4. Matth. 20. Luc. 22. Marc. 10. Rom. 13. Vasq. 1. Illust. controvers. c. 21. n. 1. Pet. Martyr. in locis communib. Clas. 4. c. 13. Iuri præterea humano inniti non poterunt, neque concessionem aliquam imperatorum nobis obtrudere cum præsertim donationem illam Constantini, de qua tam magnificè & insolenter gloriantur, commentitiam esse constet, nisi quis malit Pontificiorum nugas & commenta sequi quam fidem historiarum, quibus apertissime refellitur. Hieron. Bal. l. de coronat. pag. 81. Fel. in c. solita. de maior. & obed. Aeneas Syl. in Dial. quem adhuc Cardinalis scripsit, Brutum sulmen Sixti V. quod sub t. Crimen falsi 25. argumentis donationem illam fictitiam esse evincit, pulchrè Camer. in Meduar. hist. c. 61. Brucm §. soluta potestas effect. 7. membro. 2. n. 39. in tract. de regal.

regal. Imò dato non concessio donationem illam factam esse, eam tamen non subsistere rationibus urgentibus comprobant. *Hot. illust. q. 1. Vasq. 1. illust. controvers. c. 4. & 5. Eberh. in Top. loco à verisimili. n. 15.* Quinimò nec quidem aliqua præscriptione de qua jaçitando clamitant Pont. se cueri possunt, cum vel ex ipsorum Pontificum placitis, plus quam manifestum sit adversus Iuris Divini præceptum nullam præscriptionem currere. *c. 4. cum seqq. d. 8. c. ad audientiam. c. cum venerabilis. de præscrip. Pau. e. statumus. n. 7. de transact. Schurff. cons. 83. prædicta. n. 1. cent. 3. d. brutum fulmen Sixti V. & ex eo Brucm. loco cit.* Ut taceam interim contra supremam Imp. potestatem illam nihil facere, ut probat *Gail. 1. obs. 21. n. 16. Vasq. 1. illust. controv. c. 78.* Præsertim cum etiam interrupta sæpius sit, palàm est nihil hoc casu operari eam. *l. 2. C. de præscript. longi temp. tt. de usucap. & usurp.* Major de arbitro vertitur quaestio, cum jurisdictionem non habeat an inhibere possit? Nos per distinctionem respondemus cum *Mand. d. tract. q. 84.* An iudex nullitatis? & quidem si notoria illa sit, quæ ex actis evidenter absque longo tractu doceri possit, facultatem inhibendi ei concedimus, cum *Myns. cent. 4. ocs. 64. Mand. q. 24. & 49. n. 4. Dissent. And. Gail. 1. obs. 127. n. 9. & quos ibi allegat.*

XIIX.

Rem seu negotium, super quo inhibitio interponitur, si spectamus, videntum; An qui inhibere vult delegatam vel ordinariam jurisdictionem habeat; Illi cum mandati formulam sibi præscriptam egredi non debeat, prohibitum *a.* Huic super omni gravamine modo jurisdictionis terminos non excedat permissum est *b.*

a c. cum dilecta. de rescripc. Ant. de Buir. c. ex parte. gloss. 1. de foro comp. Dec. cons. 33. Incip. viso puncto. colum. 2. *b* Super omni inquam, quod verum sit & legitimum. Neq; n. quis re sua uti prohibendus, quando alter se eo gravari conqueratur. *arg. l. 2. l. 24. in princ. de aqua & aq. pluv. ar. tend.* Vnde inhiberi non posse concludimus, ne quis in pariete suo fenestram apertam habeat, ut lumen inde hauriat.

hauriat. Donell. 21. Com. 5. per l. sicut. §. Aristo. si servitus vind.
 Diss. Duar. 1. disp. 33. Hot. 2. respons. amicab. c. 31. Cuius. 1. obs. 31.
 Eleganter controvertitur, an iudex à quo appellatione
 pendente inhibere possit, ne quis in sua possessione, quo
 ad lis coram iudice superiori terminetur, & finem acci-
 piat, turbetur? Et posse non una nec infirma ratione
 confirmatur. c. cum teneamur. ubi Phil. Franc. in 2. notab. de
 appell. Spec. 1. de appell. §. de officio. n. 9. Mand. de inhib. q. 102. An.
 Gail. 1. obs. 44. n. 10. in fin. Quanquam Imperator causas
 in iudicio Camerae Imperialis Spirae pendentes, ad se
 advocare & inhibere non possit Camerae, ne porrò in cau-
 sa procedat. Gail. 1. obs. 41. n. 3. per ordi. Cam. p. 2. t. 35.
 Das dem Cammergerichte sein stracter lauff gelassen werden
 soll.

X I X.

Ad formam pertinet, ut inhibitio cum causae cog-
 nitione a partis ad instantiam b parte adversa citata c
 decernatur.

a l. 2. l. iudex l. ult. C. comminat. vel epist. Fel. c. dilectus. col-
 ult. de rescriptis. Phil. Franc. c. 1. n. 14. de appell. Rol à Valle. cons. 77
 Viso n. 24 lib. 2. Cov. pract. qq. c. 24 n. 3. Mar. p. 6. de appell. n. 207
 Cognoscere a. debet iudex superior an causa per appel-
 lationem sit devoluta. arg. l. ex quacung. 2. si quis in ius vocat.
 l. si quis ex aliena. 5. de iud. Myns. cent. 6. obs. 7. Gail. 1. obs. 34. n. 1.
 Faciunt notata per Vvesenb. in par. si quis in ius vocat. n. 1. b
 l. 4. §. hoc autem iudicium. de dam. infesto. c. bona memoria. de postu-
 prelat. gl. ibid. in verb. curavimus. D d. in l. unica. C. ut qua desunt
 advocatis. Interim non negamus, quod ex officio iudex
 inhibeat interdum, si nimirum res ad arma spectaverit,
 l. equissimum. de usufructu. l. ult. de off. procur. Cas. l. si super. C. de
 transact. l. congruit. l. illicitas. §. ne potentiores. de off. prasid. Myns-
 cent. 2. obs. 96. Gail. 2. de pace publ. c. 18. n. 8. cum seqq. Facia-
 mus per falsum procuratorem obtentam inhibitionem
 num per dominum ratificari poterit? quo ad præju-
 diciam tertii eam ratihibitionem subsistere negamus.
 Mand. q. 26. n. 4. Gail. 1. obs. 47. per fundamenta ibi allata. At
 si per Procuratorem generalem? Inhibitionem valere
 C. affirmamus,

affirmamus arg. l. si hominem. pr. mandati. l. prohiberi. quod vi
aut clam. l. solutam. l. quodlibet. de solu. l. rescriptum. S. ult. cum l. seq.
l. nam & nocere. de pact. Vaud. i. var. q. 47. quem v. c. l. de uno-
quoq. de re iudicat. l. nam ita Divus de adopt. cum concordant. Gab.
Rom. lib. 2. com. conclus. t. de citat. concl. I. ampl. 12 n. 81. Ale. co. 91
col. penult. lib. 2. Ius. in l. si opus. sol. t. mat. Gall. i. obs. 48. Exe-
cutionem citationis in personam fieri debere putamus.
Vvesen. in par. de in ius voc. n. 13. Mand. q. 67.

XX.

Sic itaque decretam & executam legitimè inhi-
bitionem effectus consequuntur, ut omnia attentata
revocentur a, poenæ quoque non parentes subjiciantur
b.

a Ca. non solum. c. Romana. §. quod si obiciatur. de appell.
lib. 6. Dec. cons. 103. in princ. Dubitari potest, si propter
solam inhibitionem attentata injusta sint cætera justa,
an ideò revocanda veniant, an propter utilitatem susti-
nenda? Quod postremum magis arridet. arg. l. i. §.
sed & mihi. Vbi Duar. de verb. obl. c. utile. ubi Peck. de R. I. in 6. l.
aliquando. §. fin. ad SC. Velleianum. l. dolo. §. de doli mali except. Sa-
ne si non constet inhibitionem Canonicam & legitimam
esse attentata in dubio non annullanda. ut est verior &
receptior opinio. per d. c. Romana. §. Quod si obiciatur. & c.
non solum cum ibi not. de appell. lib. 6. b Textus gloss. & Dd.
in l. unica. Si quis jus dicenti non obtemp. ad præteri-
ta tamen non trahitur inhibitio. Mand. q. 22. & 70. Vve-
senb. in par. nihil novari. appell. interpos. Inhibitio enim jura
partium conservat in eo statu, in quo sunt, quo emanat.
Lanf. in rep. c. quoniam verb. appell. n. 67. & 69. de probat. Romg.
in suo processu. p. 2. c. 125. Rub. Von den Attentaten. §. Aber von
den beyurtheil. vers. Sonst wo die verbietung.

XXI.

Ad inhibitionum porrò intellectum notandum,
quod strictam interpretationem recipiant, & aliis neque
profine

profint neque noceant, sed in eorum persona, de qua lo-
quuntur, quo ad illud negotium saltem subsistant.

And. Gail. 1. obs. 72 n. 6. Hinc an inhibitio pro debi-
tore militans etiam fidejussori proficit nobilis & difficilis
est quaestio cum pro utraque parte rationes non conte-
mnendae afferri queant? Num negativa melioribus sus-
fulta sit in conflictu videbimus. *Phil. Francus. ca. cum tene-*
amur. vers. Et adde quod sicut inhibitio de appell. Dec. cons 33. Vi-
so puncto per text. & gloss. in l. creditor. verb. posse. mandat.
Successorem tamen universalem seu heredem inhibiti-
onem ejusmodi afficere magis est, ut dicamus per rati-
ones allatas a Mand. in sepe allegato tract. de inhib. q. 92.

XXII.

Extingvuntur (quod ultimum hujus esto dispu-
tationis) inhibitiones, vel pro parte vel in totum: Pro
parte, quando moderatio quaedam earum subsequuta,
cum rarum non sit neque infrequens, Iudicem ad quem
incidentem aliquem articulum ad iudicem a quo remit-
tere, quo casu inhibitio ante emanata non omnino tol-
litur, sed tantum quo ad articulum illum aboletur.

Vide omnino Mand. q. 41. cum duab. seqq.

XXIII.

In totum, si tempus praestitutum lapsum sit *a*, si
deserta appellatio, cujus vigore emissa fuerat inhibi-
tio *b*, si denique iudex appellationis remittat ad iudi-
cem, a quo vel male appellatum pronunciet *c*.

a Limitata enim causa, limitatum producere
effectum solet. l. in agris. de acquir. rer. domin. cum simil. *b*
quod fit, si vel apostoli non sint petiti intra 30. dies.
ca. ab eo de appell. lib. 6. Clem. 2. vers. similiter si iudex. Vbiq. Dd.
eod. Rota dec. 347. in novis. vel cursus fatalium expletus. Dd. in c.
ut debitus. gloss. penult. de appell. c. Romana. §. si vero. eod. tit. lib. 6.
c *Mand. quaest. 39. Rota. dec. 1. n. 3. de off. deleg. in novis.*

C 2 Coronidis

XXIV.

Coronidis locum subsequentes quæstiones subeant; Antestamenti factio *a*, & jura venationum *b*, à Principe prohiberi possint? Prius negamus, posterius affirmamus.

a l. si testamentum. C. de test. l. si donationem. C. de revo. dona. Mich. Gras. lib. rec. ept. sentent. §. 1. Did. Cov. 3. var. resol. c. 6. nu. 5. Iul. Clarus. §. testamentum. q. 2. in fin. *b* And. Gail. 2. obs. 68. n. 11. Eberh. Speckh. Cent. 1. q. 97. Fach. 1. controvers. iur. cap. 1. Wesenb. de acquir. rer. dom. in par. ubi elegantes hujus prohibitionis rationes affert. Non tamen pœna capitalis in delinquentes (vulgò Wilpredtschieser) sancita temerè exequenda. Fach. d. l. in fin. Speckh. d. Cent. 1. q. 98. Bruchm. de regal. in §. venatio. c. 4. n. 1. Franc. Zoanet. in rep. l. 2. C. de inter emptorem & venditorem. n. 145. cum seq. And. Tira. de nobil. c. 37. Alvarot. n. 1. prap. n. 1. Afflict. n. 2. in c. 1. §. retia. de pace ten. in usib. feud. Iacob. de S. Georg. de feud. in verb. & cum venationib. diff. Can. in c. non est extra de decimis.

F I N I S.



99 A 6904


ULB Halle 3
004 976 38X



TA 30L







13

DISPUTATIONVM
PROCESSVS IVDICIARII
Vndecima
DE NULLI
TATIBVS ET IN-
HIBITIONIBVS
QVAM
*Ex iure Civ. Can. Ord. Cam. Imp. &
in foro receptis Dd. opinionibus
depromptam*
Divini Numinis annuente gratia
SVB PRAESIDIO
*Nobilissimi, Amplissimi & Con-
sultissimi viri,*
Dn. ARNOLDI DE REYGER, DO-
ctoris Iureconsulti celeberrimi, & in
Illustri SALANA Pandectarum
P. P.
Publicè propugnare conabitur
MATTHIAS ENGLIKE
Pyr. Pomeranus.
I E N Æ
TYPIS TOBIAE STEINMANNI.
ANNO MDLXCV.